Quelle: http://manuscripta.at/?ID=25958
Copyright: Admont, Benediktinerstift

dine ad unam quam elegerit predictarum urbium civitatum confugiat. qua
humilitate intrare et inhabitare debeat. evidenter docet nos
dominus dicens in consequentibus. Cumque ad unam harum confugerit civitatem.
stabit ante portam civitatis. et loquetur senioribus urbis illius que se com
probent innocentem. Sicque suscipient eum et dabunt ei locum ad habi
tandum. Potest intelligi per civitatem quelibet spiritualis congregatio. per
portam civitatis. bonus prelatus eiusdem congregationis. qui congrue
porta civitatis nuncupatur. per ipsum enim intratur. per ipsum introitus
civitatis indulgetur. Stat ante portam civitatis. quando stabili con
stantia postulat ut suscipi mereatur. Loquitur senioribus urbis illius
que se comprobent innocentem. quando factis et dictis vere se ostendit
penitentem. Hec enim sunt ea que hominem comprobant innocentem.
quia per veram penitentiam. ad veram redit innocentiam. Sicque suscipi
ent eum et dabunt ei locum ad habitandum. quando humiliter pulsan
ti aperiunt. susceptumque in congregatione qualiter vivere debeat. verbis
et exemplis instituunt. Cumque ultor sanguinis eum fuerit persecutus.
non tradent eum in manus eius. Ultor sanguinis. diabolus est hostis
humani generis. de quo in psalmo dicitur. Ut destruas inimicum et
ultorem. Inimicus est bonorum. ultor est malorum. ipse ulciscitur et punit.
quicquid homo contra deum committit. Ipse peccatorem fugientem et pie
vivere cupientem semper persequitur. si forte a proposito suo eum avertere
valeat. si pristinis eum sceleribus involvere possit ut pereat. Sed non tradent
eum in manus eius. quando hunc eum monitis suis et consiliis ad resisten
dum diabolo. ad serviendum domino accendunt. inde meritis suis et
orationibus defendunt et muniunt. Quia ignorans percussit proxi
mum eius. nec ante biduum triduumve eius probatur inimicus. Per biduum tridu
umve. vel baptismi susceptio. vel sancte trinitatis accipi potest confessio.
Omnis igitur qui extra hoc biduum vel triduum inventus fuerit. hic in manus
eius qui ultor est sanguinis traditur. quia inimicus dei esse convincitur.
Ille vero qui per baptismi susceptionem. et sancte trinitatis confessionem. inter ami